Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

florianus respondit. Hoc ego non sum facturus. quod autem tibi preceptum
est exerce. Tunc preses commotus ira iussit ei inferri precepit ut
invitus sacrificaret. Beatus florianus elevavit vocem suam ad
dominum et dixit. Domine deus meus inter spatium et te denegare non
possum. sed tibi multo et tibi sacrificium offero laudis. protegat me
dextera tua. quo benedictum est tuum nomen in celo et in ter
ra. Domine da mihi tolerandi virtutem. et suscipe me inter
sanctos athletas tuos. qui ante me confessi sunt nomen sanctum tuum.
Indue me domine stolam candidam virtutis et spiritu sancto confir
ma me et non permittas me conculcari a diabolo. sed esto mihi
dux in via iustitie in virtute tua. ut te laudem et sem
per tibi dicam quia es benedictus in secula seculorum. Aquilinus autem
audiens irrisit eum et dixit. Quid sic insipienter loqueris.
et irrides precepta imperatorum. Sacrifica diis. Beatus flo
rianus respondit. Et quando humana milicia exercebam. tamen
dominum meum occulte colebam. unde me non potuit diabolus
ex integro occupare. Corpus quidem meum in potestate habes.
animam autem meam non potes tangere. Solus enim deus in hac
prevalet usque in hodiernum diem. Iussioni principum pa
reo quantum eligunt militem. hoc autem minime suadere
mihi poterunt. quia demoniis sacrificare non possum. Ego
fantasiam non adoro. In furore autem preses conversus. iussit
eum fustibus cedi. Beatus florianus dixit. Tantum irascere
preses quantum corporis potestatem habes. quod iam concessit.
Si autem vis scire. quia non timeo tormenta tua. ignem
accende. et in nomine domini ascendam per eum. Milites
vero ceperunt eum cedere. Et cum cederent eum. dixit ei preses.
Sacrifica floriane. et libera te de his tormentis. Beatus
florianus respondit. Ego sacrificium iocundum offero domino meo
ihesu christo. qui me dignatus est in hanc horam perducere.
et constituit me in exultatione magna in qua nunc
sum. Aquilinus autem audiens hec. iussit eum cedi. Beatus
vero florianus psallebat. sicut qui est in leticia et in gaudio
constitutus. Tunc iussit preses scapulas eius clavis acu
tis figi. Quo facto beatus florianus amplius glori
ficabat dominum. et confitebatur christum. Tunc preses eum se
superatum vidisset in omnibus dedit in eum sententiam et ius
sit eum duci ad fluvium anesum. et precipitari de pon
te. Beatus vero florianus cum duceretur a militibus ibat
gaudens et exultans in viam eternam. Pervenerunt autem
ad locum ubi eum iussi erant precipitare. Et ministri ligave
runt ei lapidem ad collum. Beatus autem florianus rogavit
milites ut permitterent se ad dominum orare. Stans autem
contra orientem: expandit manus suas ad celum. et ora
vit quasi unius hore spatio. ut revererentur et timerent
eum tangere. qui eum duxerunt. Tunc veniens quidam plenus
rabie: et dixit ad eos. Quid statis. et non facitis iussionem
presidis. Et hec dicens. precipitavit eum unum in fluvium
anesum. Statim oculi eius qui eum precipitaverat exce
perunt. videntibus omnibus circa astantibus. Tunc fluvius
suscipiens martyrem christi. in quodam loco eminentiori
in saxo corpus eius exposuit. Tunc annuente favore divi
no adveniens aquila expansis alis suis in modum
crucis eum protegebat. Post hec autem beatissimus floria
nus manifestavit se cuidam femine deo devote ut
eum conderet in secretiori loco. certis indiciis desig
nans ei locum ut eum inveniret. ubi eum sepeliret. Mu
lier autem hac visione comperta. iungens animalia sua
ad fluvium properavit. et corpus inquirens invenit. Propter
gentilium autem timorem in virgultis a frondibus in
volvit eum. que se simulabat ad hortulum clauden
dum ducere. Ducebat autem corpus eius ad locum ubi ei reve
latum erat. Euntibus autem eis per viam. factum est ut lassare
tur animalia sitis ardore. Que steterunt. ita ut se
amplius movere non possent. Tunc mulier oravit ad
dominum. ut ei divina misericordia subveniret. Statimque in loco
eodem affluentissimus fons erupit. qui ad testimonium
meritorum eius usque in hodiernum diem emanare perseverat
in quo saciata sunt animalia. Pervenerunt autem ad locum ubi
ei designaverat beatus florianus. et amplius se mo
vere non potuerunt. Et ita mulier propter eminentem
amarissimam persecutionem secrete cum festinatione
sub terra eum posuit. Illi autem xl. confessores superme
morati dum hec aguntur in carcere mortui sunt. Passus
est autem beatissimus florianus. iiii. nonas mai.

Prologus in vita Gotehardi episcopi.

F

Summe reverentie
decore venerando. domino meo
et magistro albwino toto semper
devotionis studio colendo.
Wolfherius spiritu et corpore
modicus. quicquid pro plurali
subiectionis debito iure
propius. hystoriam de vita
et institutione beate me
morie patris ac pastoris nostri Gotehardi episcopi scriptu
rus. inter spem et metum anxius. diu multumque de
liberando dubitavi. quia me ad tam arduum ac precla
rum opus imparem minusque idoneum non ignoravi. Nam
quantum spe et delectatione virtutum. quas per illum deus
ostendit. delectatus advocabar tantum multipli
ci proprie negligentie conscientia et metu territus ret